

UM
RUM
E
EINZIA
UM



**DIVITIARUM
EVANGELICARUM**

Disquisitio XXVIII.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

HENRICO CAMERARIO,

Aquensi-Saxone

Dominica VII. post Trinitatis.

A. O. R. cl. lcc. III.



HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris Oel-

schlegelij

On. Unig

*Humanissimis, prudentiâ multijuga-
rumq; rerum usu clarissimis, pietatis &
eruditionis laude insigniter con-
decoratis*

DN. DAVIDI KERNÆO Reipubl. Calegi-
ensis Consuli regenti gravissimo, Favi-
tori exoptatissimo.

DN. M. MAURITIO Herkogen/judici Reip.
Calegiensis integerrimo.

DN. M. CHRISTOPHORO Giehræ, Poët.
laur. Cæs. Witteb. Facult. Philos Adjun-
cto, jam Scholæ Servestanorum novæ
Rectori sollertissimo, promotori suo
magno.

DN. CASPARO HEISIO Hallis apud Novo-
forenses judici meritissimo.

DN. CAROLO Stölkern ibidem apud No-
voforenses judici dignissimo, & ejus-
dem Ecclesiæ Antistiti primario.


DN. CASPARO TITIO ibidem in Novo fo-
ro Rectori fidelissimo, vigilantissimo.

DN. CHRISTOPHORO Beckern civi & auri-
fabro artificiosissimo, ejusdem Ecclesiæ
Ædili sacro meritissimo.

*Dnn. Evergetis atq; Patronis meis
ad sidera evehendis, subjectoq;
vultu devotè venerandis*

inscribit, offert, dedicat

RESPONDENS.



ANALYSIS

EVANGELII

DOMINICA VII. POST TRI-
NITATIS.*Marc. 8. à vers. 1. usq. ad 10.*

Προούλιον.



*Anna caelestis ille cibus & an-
gelicus prius non missus fuit, ne
habetur Exod. 16, 3. quàm fari-
na defecisset Aegyptiaca; aquè
auditoribus suis Iesus Christus
non paravit in deserto mensam, usq. dum ci-
bus absumptus per triduanam sequelam defe-
cisset: quemadmodum illud ipsum in sexto Ev-
angelico uberius declaratur.*

THESIS I.

In quo propterea habetur partim
P Chri-

Christi cum discipulis consultatio, ubi est occasio, & discipulorum convocatio v. 1. in quo partim habetur circumstantia temporis: in diebus illis. Postquam nempe Cananae filia à Demonio liberata, & Mat. 15, 29. mutuo loquendi facultas restituta Marc. 7, 31. quia, uti summus Sacerdos, quando sacrarium templi ingrediebatur, audiebatur ob tintinnabula, Exod. 28, 35. ita Christus Sacerdos Novi Testamenti ob miracula.

2. Et rei summa, quæ continet causam impulsivam exteriorē in genere: cum turba. Quæ sequebatur Salvatorem, ut agri morborum depulsorē, ut servi animarum liberatorem unicam videbant viā errore vacantem, ait Basilii Seleucens. Orat. 33. & ad eam omnes affluebant; cui collubitum erat, sequebatur, morbus eximebatur è morbo, pauerunt fontes benignitatis, & omnes fruebantur.

3. In specie describitur à quantitate: omninò multa adesset. Non tantum ex Judæis, ut illa Matth. 14, 13. sed etiam ex gentibus, ex sinibus Tyri & Sidonis: nam utriq; exhibuit semetipsum, ut ostenderet se utriusq; esse Servatorem, Rom. 3, 29.

4. Et

4. Et à qualitate : & non haberent, quod concederent. Siquidem plerumq; Ecclesia est domicilium pauperum, Sophon. 3. 12. Sic David cogitur se in speluncis occultare, 1. Sam. 22, 1. Elias & alij Propheta vix aquam & panem habent 1. Reg. 18, 4. Apostoli per deserta & montes oberrant Ebr. 11, 38. Ideoq; paupertas non est religionis falsæ indicium. Nam, quod Augustin. legitur conc. 2. ad Psalm. 33. tempore Elie fuit fames, passi sunt eam patres nostri; semper enim dies mali in seculo; sed semper dies boni in Deo. Habuit dies bonos Abraham, sed intus in corde. habuit dies malos quando à fame mutavit regionem, & querebat cibum, sic omnes quasi-verunt. Quod si quaras; unde hæc? Responder Nazianzenus Orat. 26. de grand. vast. Alius nostrum depresso pauperem; alius vero usuris; alius Deo nihil obtulit; alius viduam & pupillum non est miseratus; alius sacrificavit sagena sua. Proinde nil mirum, si deteriora quotidie patimur. Nam quotidie deterioriores sumus, & nova quotidie mala facimus, & vetera non relinquimus; surgunt recentia crimina, nec repudiantur antiqua, habet Salvian. lib. 4. de Provid. Dei. Quis ergo causationis locus? quamlibet aspera & adversa patimur,

mur, *minora patimur, quam meremur*: Ne
 igitur dicas, *meliora tempora fuerunt, quam
 nunc sunt*: *Virentes viventi faciant dies bonos*,
 Hieronymus in cap. 7. Eccles. *vitia maloc*.
 Propterea Deus vult probare patientiam &
 fidem nostram; nec enim quisq; sibi innotescit,
 inquit August. in Esa. 60. *nisi tentatus*, &
 vult docere, non in solo pane vivere hominum,
 sed in verbo Dei. Unde Cyprian. serm. de
 jejun. & tentat. *citius attentiusq; menti pro-
 videndum, quam ventri*.

5. Tum est effectus: Advocans
 Jesus discipulos suos, dixit illis. *Ut ex-
 emplum tribuat magistris, cum discipulis esse
 communicandum*. Alias enim elata est vox
 Caiphe: *Vos nihil scitis, nihil cogitatis*, Joh.
 11, 49. Sic Isaaco placuit consilium Rebecca,
 Gen. 27, 5. Barak consilium Debora, Jud. 4, 6.
 Josia consilium Hulda, 2. Reg. 22, 14. Apollo
 recipit informationem Priscilla, Act. 18, 27
 Pharao Josephi consilium, Gen. 41, 34. Etiam
 ut animos suorum prepararet ad misericordiae
 affectum. Potissimum ut discerent ministri
 Ecclesiae, *injunctam sibi esse curam pauperum*,
 Gal. 2, 20. Et Diaconi propterea primum ele-
 cti, Act. 6, 23. Unde Ardens inquit, *compassi-
 onem suam Dominus inserens non celavit, sed
 potius*

potius convocatis discipulis eam ostendit, dicens quasi: Misericordiam, quam me videtis super afflictos habere, habere memento.

6. Et ratio impulsiva interior, respectu Christi, est ejusdem commiseratio v. s. In quo forma orationis continens internam causam in subiecto: Misericordia tangor. Hoc est, intimis cordis visceribus commoveor; quia ἀλάγχα significant majora viscera, Syrus vertit per Racham, quod est intimè diligere. Et quamvis hoc verbum in Novo Testamento multoties legatur, nullibi tamen tam jucunda ejus mentio est, quam hoc in loco. Dicitur quidē de Christo, quod sit miserus duorum fratrum, Matt. 20, 24. leprosi, Marc. 1, 41. vidua Naina, Luc. 7, 13. Samaritani vulnerati, Luc. 10, 34 tamen hic miseretur quatuor millium virorum. Hoc verò est proprium, inquit Arnob. Lib. 3. advers. gent. Dei potentis & veri inexorata beneficia prebere fessis atq; invalidis rebus & multiformi semper asperitate vallatis. Non enim habemus Pontificem, qui non possit affici sensu calamitatum nostrarum Ebr. 4, 15. sed qui miseretur nostri. sicut pater Psalm. 103, 13. sicut mater, Esa. 49, 15. cujus viscera conturbantur, Jerem. 31, 20. cujus proprium misereri

semper habet Augustinus cap. 39. Meditatio
 7. Ratione objecti in genere: erga
 turbam. Congregati erant, qui ex Decapoli,
 atque ex finibus Tyri & Sidonis Dominum
 secuti erant, commoustrans non Iudeorum
 modo, sed & gentium se Salvatorem esse,
 Rom. 3. 39. Similiter notemus, quod super tur-
 bam misereatur Dominus, ne vel inedia, vel
 longioris via deficiat fervore, dum misericor-
 dia affectus est, & compassione humana fragi-
 litatis, Chrylost. serm. 209. de temp. Et qui
 personam suscipere patris dignatus est, nihil
 circa filios non misericorditer facit, inquit
 Prosper in Enarrat. Psalm. 102. flagellat ad-
 optatos potius, quam deserat abdicandos.
 8. In specie describitur quoad tem-
 pus propter diligentiam: quia jam triduo
 manent apud me. Ut ostendat ipsorum dili-
 gentiam: quia eo sine manserant, ut conciones
 salutiferas audirent, & miracula viderent.
 Digni itaque monet Chrylost. hom. 8. in Matt.
 sollicitudine Domini, qui tribus diebus expe-
 ctarunt Dominum. Ut discamus verbum Dei
 diligenter audire, nec deserere publicos con-
 gressus Ebr. 10. Sanè inquit Cæsarius Arelat.
 Homil. 5. qui contemnit præconem, sentiet ju-
 dicem. Ad viam eas necesse est in deserto.
 Bern-

Bernhard. serm. 1. de Evang. septem panum :
 si gratum Deo offerre volueris sacrificium, &
 triduo sustineas Salvatorem, si miraculi pani-
 bus desideras saturari. Prima est dies timo-
 ris declarans ac illuminans tenebras. Secunda
 pietatis, qua respiramus in luce miserationum
 Dei. Tertia rationis, in qua veritas innotes-
 cit, ut tanquam ex debito quodam natura si-
 ne aliqua contradictione creatori subjecta sit
 creatura, servus serviat redemptori.

9. Et propter indigentiam, quoad de-
 fectum : nec habent quod ederent. Quo
 commendatur ipsorum studium, qui malue-
 runt Christum audire, & esurire. Ut disca-
 mus, qualis sit hominum nostrorum verbi di-
 vini cura. Unde fit, ut tot annos audientes ne
 rudimenta quidem intelligant : imò, inquit
 Chrysost. Hom. 57. in Johan. diutius audi-
 endo, ne nomina librorum intelligant, nec pu-
 det, nec verentur tam negligenter in Dei con-
 cionem ingredi.

10. Et respectu populi examinatio.
 vers. 3. in quo antecedens : Si dimisero jeju-
 nos in domum suam. Ostendit suam condo-
 lentiam, ut qui fidelis, & cui cura de nobis,
 1. Petr. 5, 7. nec sinit nos tentari supra vires,
 1. Corinth. 10, 13. castigat, sed non morti tra-

dit, Psalm. 118, 18. *nec dat in aeternum iusto fluctuationem*, Psalm. 55, 23. *Ut discamus equè curare miseros, ne pereant in afflictione*, Psalm. 119, 39. *ne negligantur domestici*, 1. Timoth. 5, 20.

11. Et consequens continet effectum; deficerent in via. *Id est resolveretur quasi, uti verbū Graecum innuit pra lassitudine, uti Syri q habet, ut in deliquisum animi quem admodum Jerem. 12, 15. usurpatur. Atq, ita laus istius populi commendatur, qui maluerunt deficere, quam Christum deserere.*

12. Ex argumentum: quidam enim ex eis è longinquo venerunt. *Et ita gratia caelestis impertitur alimentum non otiosis inquit Ambrosius Lib. 4. c. 9. non in civitate, quasi in Synagogā vel seculari dignitate residentibus, sed inter deserta quarentibus Christum. Ut discamus equè è longinquo accedere.*

13. Et discipulorum declaratio, vers. 4. *In quo partim causa efficiens; Et responderunt ei discipuli ejus. Quia consuluit illos. Ut discamus ad interrogata non esse tacendum, sed potius respondendum.*

14. Et responsionis forma, per relationem partim, desumptam à defectu panis;

nis;

nis; unde istos quis poterit hic saturare panibus? Est q̄ in his tacita Apostolorum illatio Syllogistica, quasi ita colligerent: ad turbano multam satiamdam requiruntur multi panes: Atqui nos non habemus panes multos. Ergo qui poterimus saturare? Interrogatio enim aequipollet negationi.

15. Et à loco: in deserto. In quo non comparari possunt panes, quem admodum apud Matth. clarius illud exprimitur. Cum enim quasi aquarum fluentia innumeri homines ad eum confluerent, ad sustentandos illos cibo querit discipulos. Cujus rei causa propter multitudinem hominum, tum propter locorum solitudinem, magnitudine atq̄ difficultate quis dives non fuisset perterritus? habet Cyrillus Lib. 3. in Johan. c. 13. Unus colligitur humana infirmitatis exemplum potissimum, cum non ita pridem quinq̄ millia virorum cibasset, Marc. 6, 38. Ut discamus succurrere miseris, nec diffidere promissionibus divinis. De quo, inquit Chryl. Hom. 19. in 2. ad Cor. Hanc, imò majorē ejorsinq̄ tentationem frequenter patimur, fratres mei, cum famelicus clamat ad ianuam, causamur res modicum habere in horreo, modicum panis in arca, et per avaritiam mentis, bona à Deo nobis data.

vel diminuimus, vel negamus, cum per amplitudinem ea multiplicare debeamus. Deponamus igitur, fratres, hanc pusillanimitatem, & de Dei largitate presumamus, qui cum abundanter administret perfidis & sceleratis, quanto magis suis fidelibus dispensatoribus materiam bene agendi superabundanter subministrabit? Ad memoriam revocemus, ait Ardens, sanctorum largitatem, qui super facultatem suam indigentibus erogabant, & tamen providente Deo semper abundabant. Ita ut contendere viderentur, Deus eis administrando & illi distribuendo.

16. Partim est populi cibatio, ubi de panibus interrogatio v. s. in quo forma: Et interrogavit eos: quot habetis panes? Ita nimirum ad assumptionem respondere conatur. Non autem querit, quasi nesciret illud, sed ut omnibus presens defectus innotesceret, miraculumque magis magisque illustraretur.

17. Et responsionis summa, à quantitate: illi verò dixerunt septem. Ut ostendat ordinaria media, si haberi possunt, non esse negligenda; Septem verò panes sunt sermones, uti habet Theophyl. in Marc. denotantes perfectionem, & uti Bernhard. habet ser. 2. septem panes, quibus reficiamini isti sunt: pri-

mus Verbum Dei in quo vita hominis, Luc. 4, 4. Secundus est obedientia, ex Joh. 4, 34. Tertius meditatio sancta, Joh. 6, 33. Quartus orantium lacrima, Psalm 79, 6. Quintus labor pœnitentia, Psalm 127, 2. Sextus jucunda unanimitas socialis ex 1. Cor. 10, 17. Septimus Eucharistia, Joh 6, v. 51.

18. Et miraculi exhibitio, cujus antecedens est panis sanctificatio v. 6. in quo notatur mandatum, ubi litus: Et præcepit turbæ discumbere super terram. Quo ipso bonam spem ipsis fecit cibationis futura. Colligiturq; populi obedientia, neq; attendunt, quid præcipiatur, inquit Bernhardus, sed eo solo sunt contenti, quod à Domino, præcipiatur; cumq; in terram jubentur discumbere, humilitas ostenditur, ordoq; innuitur, 1. Cor. 14, 33. Et credibile est, ait Bernhardus, quosdam huc profectos quidem, sed non refectos; si enim fuerunt, qui discumbentibus aliis post dumeta quævis seu diversoria absconditi latuere, homines eosdem jejunos mansisse quis nesciat? sic & eos nihilominus, qui levitate & curiositate ducti, circumquaq; vagantes minimè resederunt; aut qui resederunt quidem, sed non in ordine, nec in numero ceterorum. Hortamur proinde, inquit, charitatem vestram & postea

postea

pastorali sollicitudine admonemus, ne quis ex vobis inveniatur angulos amare, sectari latebras, quarere diverticula.

19. Tūm est modus, in quo antecedens: & acceptis septem panibus. Quos panes Christus à communi usu preparavit ad instans miraculum: sursum autem, ut agnoscamus manus illas largas, quæ hodieq; aperta sunt, & implent omne animal benedictione. Psal. 145, 16. ex quibus omnia habemus 1. Par. 30, 14. ut q; omnes viderent, nec alios esse panes conquisitos, nec alia cibaria confecta; & doceret difficile non esse Domino juvare siue parum adsit, siue multum, 1. Sam. 14, 6.

20. Et, gratias agens. Sicut omnis creatura bona est, qua cum gratiarum actione sumitur: sanctificatur quippe per verbum & preces, 1. Tim. 4, 4. Ut discamus equè gratias agere, uti monet Beda in cap. 6. Joh. secundum monitum ipsius Pauli, 1. Corinth. 10, 31. Unde Basiliius Epist. 1. ad Gregor. preces ante cibum fiant pro dignitate ciborum ad largitionem Dei, tūm eorum, qua nunc dat, tūm eorum, qua ad futurum recondidit. Preces etiam post cibum, gratiarum actiones pro datis habentes, & petitionem oromissorum; quod & idem Basil. in conc. de grat. act. repetit, desi-

desidens in mensa ora, inquit, assumens panem, ei, qui praebeuit, gratias persolve, vino debilitatum corpus fulciens, memineris ejus, qui donum tibi dederit ad laetitiam cordis & consolationem infirmitatis. Et vel caeli aspectus suscipiens est confessio, ait Seleucens. orat. 33.

21. Consequens continens effectum, quoad Christum respectu panis: fregit. Nempe eo fere, ut distribueretur, nos docens, ut si integros panes dare non possimus, saltem frangamus & fractos distribuamus, ex Esa. 58, 7 Panem enim non tuum sed nostrum oras; si itaq; Deus largius panem dederit, non vis, id factum non propter te, sed & propter alios, ut tua abundantia aliorum suppleat inopiam, 2. Corinth. 8, 14. qui enim particulam pro egentibus divinitus sibi concessam retinet, is non suum tantum, sed alienum vorat panem, ait Chrysost.

22. Et dedit discipulis suis: Ut ita filios & familiares nostros doceamus elemosynas facere, inquit Ardens, & per eos dando ipsos ad dandum assuefaciamus. Atq; ita etiamnum panem quotidianum non statim in os ingerit, sed mediate per aliorum manus communicat.

23. Respectu discipulorum quoad
man-

mandatum; ut apponerent. Noluic enim
 ipsorum quoq; officium spernere. Vt discamus
 neminem contemnere aut negligere, quia ho-
 mo sine homine nullo modo vivere potest, in-
 quit Lactant. lib. 6. Instit. Divin. c. 10.

24. Quoad factum: & appoluerunt
 turbæ. Non sibi retinuerunt, uti perfidi solent,
 qui arbitrantur sibi debere omnia.

25. Et piscium multiplicatio vers. 7.
 in quo materia; & pisciculos paucos.
 Ut doceret etiam obsonia posse adhiberi,
 simulq; moneret, paucis nos posse esse conten-
 tos, velcum Prophætis, ut Elia, qui pane &
 aqua 1. Reg. 19, 8. siquidem cibus sumendus
 non ad voluptatem, sed ut vivendo aliquibus
 simus utiles, quod si quando egestas apprehen-
 derit, contenti simus rebus tenuibus, ita fiet, ut
 neq; ditari cadamus in iactantiam, neq; per
 egestatem collabatur animus, habet Justin.
 Martyr. in Epist. ad Jen. In cibo hac mensura
 tenenda, monet Hugo in Instit. Monast.
 cap. 20. ut nec contra honestatem, nec supra
 honestatem sumatur. At apud nos, ait Bern-
 hard. in Apolog. ad Guilielm. Abbatem,
 fercula feralia apponuntur, & pro solis carni-
 bus, à quibus abstinetur grandia piscium cor-
 pora duplicantur: cumq; prioribus fueris sa-
 tiatus;

viatus, si secundos attigeris, videberis nec tunc
 gustasse pisces. Tanta quippe accurratione &
 arte coquorum cuncta apparantur, quatenus
 quatuor aut quinque ferculis devoratis prima
 non impediunt novissima, nec satietas minuat
 appetitum. Quale autem illud, quod nonnul-
 la monasteria ex more observare dicuntur in
 magnis videlicet festis vina melle delibuta in
 conventu habere? numquid & hoc dicemus
 fieri propter infirmitatem stomachi?

26. Et forma quoad modum: &
 cum benedixisset. Quippe eam nunquam
 omisit, quia ut ait Chrysostr. Hom. 41. in Jo-
 han. & 79. ad popul. mensa ab oratione su-
 mens initium, & in orationem desinens, nun-
 quam deficiet, sed fonte largius omnia bona
 nobis afferet.

27. Quoad mandatum: iussit appo-
 ni & hos. Quia habebantur ad manus. Ve-
 doceret, Deo non displicere etiam prater pa-
 nem alia sumere. Piscium verò hic facit men-
 tionem, non quasi improbaret carnem pecu-
 dum, cum & ipse de agno Paschali manduca-
 rit, Luc. 22, 15. sed quia usitatoribus erat in-
 ter Judaeos.

28. Consequens est tum reliquiarum
 asservatio v. s. In quo partim de populo:
 Come-

Comederunt autem. Ita crevit cibus in manibus Christi, in discipulorum, in manducantium oribus. Et quia prius fortiter esuriverant, ita, ut periculum esset, ne in via deficerent, iam omnes comedunt: O quas tunc res, inquit Hilar. in Matth. Canone 14. videre fuit: panes pariebant & mensa alimento ex-temporaneo differta erant: panes absq; rusticano sudore pariti, non de spicis erumpebant, sed de Domini manu efflorescebant. Auctorem enim, qui terra latera ad fructificandum excitat, habet Basil. Seleucensi. Orat. 33. crescit materies, nescio utrum in mensarum loco, inquit Hilar. an in manibus sumentium, an in ore edentium. Ne mirere fontes fluere, inesse uvas vitibus, ex uvis uina diffundi. & omnes mundi opes annuo quodam meatu, indefessq; defluere: Auctorem enim huius universitatis tantus panum profectus ostendit: per quem tali incremento modus pertractata materia additur. Agitur enim in opere visibili invisibilis molitio. & arcanorum caelestium Dominus arcanum negotij presentis operatur.

29. Et saturati sunt. Non ergo prestigis usus fuit Christus in miraculis suis, sed revera prestat, quod promittit, dum largitur
suffi-

sufficienter & opulenter 1. Tim. 6, 17. ut cuius
 majestas est infinita: Esurientes agnovit, ha-
 bet Aug. Tract. 24. in Joh. misericorditer pa-
 vit, non solum pro bonitate, verum etiam pro
 potestate. Ut discamus, quod si Deus dederit,
 unusquisq; sumat portionem suam, & letetur
 pro labore suo Eccles. 5, 19. hoc enim Dei do-
 num est, Ecclesiast. 3, 13. Ita tamen cibandus
 venter, ait Isidorus Lib. 2. Sentent. cap. 42.
 ut contineat animam, non ut corrumpat.

30. Respectu discipulorum, quoad
 objectum: Et iustulerunt, quæ superfue-
 rant fragmenta: Disce & hoc, inquit
 Theophyl. in 8. Marci juxta historiam,
 quod debeamus his, quibus egemus, contenti
 esse, & nihil amplius querere. Ecce enim tur-
 be, quæ comederunt, & saturata fuerunt, non
 acceperunt secum reliquias panum, sed disci-
 puli has gestarunt: simulq; notemus parsimoni-
 am, quia per eam substantia multiplicatur,
 Proverb. 13, 11. & qui minuta non comparcit,
 decrescit de die in diem Siracid. 19, 1.

31. Quoad numerum: septem spor-
 tas. Et existimant quidam sportam fuisse
 duplo majorem, quam est cophinus, quo Act.
 9, 25. Paulus per murum demissus est. Et
 quod habet Chrylost. alias discipulorum

Q

nume-


numerum corbium numero, nunc verò panibus sportas exæquavit. August. inquit serm. 209. de Temp. in Histor. Joh. 6, 13. quinq; panes, hoc est, quinq; libri Mosis, nam prior illa parabola pertinet ad Judæos, hæc ad gentes.

32. Et cibati populi dinumeratio v. 9. in quo numerus: Etant autem, qui comederant fermè quatuor mille. Nempe absq; mulieribus & puerulis, uti patet ex Mattheo. Ut ostendatur & diversitas historie, & miraculi: nam antea quinq; millia refecti, qui numerus pertinebat ad Judæos, nam post ascensionem Domini tria millia sunt baptizati Act. 2, 14. Hic autem quatuor millia, hoc est, de terrâ rotâ omnes à quatuor cardinibus cœli, ait August. serm. 209. de Temp. & inibi erant quinq; millia, hoc est, quinq; sensibus serviebant. Neq; tamen omnes sensus edere voluerunt, habet Theophyl & propterea non potuerunt multa edere, sed paucis contenti fuerunt, & ideo plures reliquie. Ita hic sunt septem sportæ, & pauciora residua, eo quod quatuor millia fuerunt, hoc est, quatuor virtutibus exercitati, & propterea tanquam pauciores plura comederunt, & plura reliquerunt.

33. Tùm Christi effectus: Et dimisit illos. Non sibi populum propter beneficium.

man-

mancipat. Ut ostendat non esse sub spe securi-
ra remunerationis primario benefaciendum ;
Demus itaq; beneficia, non foeneremur.



NOTÆ.

I.

JESUS ait convocatis discipulis.)
Confidera Christum usum consilio
discipulorum ; ut discas, non spernere
consilia aliorum, cum constet, Deum etiã
sapientiam dare parvulis.

II.

Christus septem panibus satura-
vit.) Confidera nos non saurari,
nisi septem Spiritus Sancti donis; ut discas
ea expectare.


III.

Supererant de fragmentis.) Con-
sidera liberalitatem Christi, qui itã
pascit;

Q 2



scit, ut semper aliquid supersit; ut discas largiri abundanter.



CASUS.

An rei mortis, qui tempore annonę non succurrunt dum possunt?

Negandum videtur 1. quia suos curare quisq; tenetur, 1. Timoth. 5, 8.

2. Caritas ordinata incipit à seipsa l. præses 6. C. de servit. & aqvi.

3. Jura homicidas definiunt, qui homines occidunt ex l. 2. ff. de Corn. Sicut.

Contra 1. Christus hic exemplo docet non esse jejunos dimittendos, ne in via deficiant, Marc. 8, 3. & jubet frangere panem esurienti, Esa. 58, 7.

2. Qui negat alimenta necare videtur l. necare ff. de liberis. agnoscen. & qui occasionem damni dat, damnū dedisse videtur l. qui occidit §. fin. ff. ad L. Aquili.

3. Qui non pavisti occidisti c. pasc. 80. c. 16. q. 1.

4. Au-

4. Augustinus habet: hoc est occidere hominem, vitæ ei subsidia denegare. Cave ne inter loculos tuos concludas salutem iniquam, & tanquam in tumultu sepelias vitam pauperum. Et Basilus numquid tu spoliator es; qui que dispensanda accepisti, propria reputas. Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quæ tu in conclavi servas; discalceati calceus, qui apud te marcescit; indigentis argentum quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus injuriam facis, quot dare valeres, &c.

Ad contraria. 1. Tenetur suos quisq; curare primario, ita tamen, ne proximi obliuiscatur; quia debemus proximum diligere sicut nos ipsos. Ubicumq; hoc jubetur, ibi unâ hoc inculcatur.

Ad 2. loquitur de ordine: non negat autem succurrendum esse. Imò jura volunt, ut beneficio homo homini succurrat. Et humanitatis est prospicere egenis, ac dare operam, ut pauperibus alimenta non desint, l. privilegia C. de S. S. Eccles.

Ad 3. Homicida sunt, qui hominem occidunt; non interest verò, quo genere teli interficiant, dummodo doli mali convicti. Et homicida voluntarius est, cujus voluntas tendit in eum actum, ex quo per se & immediatè mors sequitur. c. ult. de hom. in 6. & arg l. si quis. 38. §. qui actor. 2. ff. de poenis. Qui enim mortis causam prabet a què est, ac si interemisset l. 15. ff. de hom. Harprech. tract. crimin. in §. item lex Cornel. n. 70. de l. publ.



CASUS II.

An annonæ asservandæ?

UTique quia 1. Christus ipse jubet discipulos asservare, uti & fecerunt Marc. 8. 18.

2. Jura volunt, ut prudentia adhibeatur, & necessaria curentur: & nemo cogendus rem certo precio vendere, l. 11. C. de contrah. emption.

i. Of-

3. Officium est magistratus & parentum curare suos, quod absq; tali observatione in casu caritatis annonæ fieri non potest, 1. Tim. 5, 8. Inde sunt Sitones l. 1. §. 11 ff. de off. præfect. urb. Novell. 30. c. 8. Et inde episcoporum officium l. ult. §. Hierarchæ 7. vers. Episc. ff. de mun. & hon.

4. Ita fecit & Joseph, Gen. 41, 34. Contra 1. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium, PROV. 11, 26.

2. Diffidentia est, dum nimium solliciti de crastino, Matth. 6, 31.

3. Chrysostr. hom. 39. in 1. Corinth. Quid homo ais? dolet tibi non omnes perisse ut faceres questum? Non audis, quid Salomon dicat? Qui abscondit frumenta execrabilis omnibus est. Sed circuis bona omnium totius orbis communis hostis benignitati insensus, mammonæ amicus, imò verò servus. Et Basilus ait, hom. sup. Luc. 12. Ne gra veris usibus necessariis te benignum reddere.

Ad contraria. 1. Christus iussit
asser-

asservare, sed ubi saturati omnes; & ea colligere, quæ superfuerant, Marc. 8, 8.

Ad 2. Prudentia adhibenda, sine damno tamen alterius. Quod l. 11. C. at-
tinet, sine justa ac probabili causa non po-
test quis cogi: at si utilitas publica exege-
rit, compelli potest arg. l. 2. ff. de nundi.
l. utilitas 3. C. de primipilo; dein-
de de aliis rebus intelligendum, non de
victualibus, ex l. 1. C. de Epis. audientia,
l. uni. C. de pretio panis, & l. unica C.
de pretio piscis. Nec obstat l. fin. §. 1. ff.
ad l. Juliam de Annona, ac si jus non fo-
ret ordini, ejusq. civitatis pretium grani,
quod invehitur, statuere, quia loquitur de
Decurionibus, quorum officium non am-
plum, sed major potestas potest, Harpre.
§. sunt præterea. n. 29.

Ad 3. ita est officium asservare, sed &
curare egenos secundum l. 2. c. de annon.
civil.

Ad 4. Josephi exemplum quod concer-
nit, ille non flagellavit annonam, sed quod
tempore vili annonam collegerit, & postmo-
dum vendiderit. Alias conquesti de eo Æ-
gypti fuissent.

Gratia magna Dei, nō enarranda potestas
Ejus, & in cameris copia copis adest.
Dum cibatur innumeros homines, animalia
Illius in terris experiuntur opem. (cuncta
Hoc probat exemplū largi memorabile Christi
Dum pavit quatuor millia pane virūm.
Nam cum turba foret, nec haberet edulia, fessq;
Ad se discipulos convocat ipse suos.
Infit: me miseret, quod apud me sedula ternos
Manserit usq; dies, hinc fame atq; modo.
Inq; via, si jejunos dimitto, perirent
Quod de longinquis pleraq; turba locis.
Discipuli contra: panem sumemus at unde?
Ac in deserto quis satiare potest?
Ille rogat panes quot habetis? dicite! septem
Panes, hi secum fantur habere, tamen.
Discumbant aut: acceptis & panibus egit
Grates, appositum discipulisq; dedit.
Id quod fecerunt: aderat sed copia quadam
Fors ex pisciculis, quæ benedicta simul.
Iussit & apponi; post est saturata cæterva,
Lectaq; sunt septem plena canistra cibis.
Mille quaterq; fuit quæ turba comederat; inde
Illam dimisit, dum satiata satis.
Dante Deo mensis majora res egmina totis
Sunt, sic in manibus crescit in ore cibus.
Talia proponit Camerarius; istaq; pergat!
In cameris poterit promus & esse Dei.
optat Gueinzius

In Nomen & Disp. amici Resp.

הֵסֵר וְרַעַב גָּדוֹל כַּחֲרֵר יָם:
אֶךְ פֶּה יְהוּה לַחֵם לְרַעַב יָם
נִתַּךְ יִמְלֵא שִׁלְנוֹ לְשִׁכּוֹר
שִׁמְר בַּחֲינוֹ כֹּל הַהֲלָכוֹר

Erhardus Weigelius W. P.

SONNET.

Nach mag das schöne volck der Erden stets nur etagen
Mit berg-erzwingnem Ach: vnd todte sorgenqual
Darf dieses seet und stann umnebeln ohne zaht
Als ob kein b. nleid mehr Gott mit uns wolte tragen.
Er hat verschloss. n ganz (so yste get es zusagen)
Die kammern seiner güt und stecken himmels-saal.
Da seiner gütigkeit/wie zetaht bis wundermal/
Ein abgrund ohne grund/obs gleich nicht kan erjagen
Die eluque Thörinne. Wie im besetzten thon
Mein Kämmerer hie zwinget: dadurch austreuet schon
Den wissenschaftes-aeruch die blüth: seiner jugend
Wenn Er wird halten an/ so wird noch werden greis
Sein selb-betobres lob/es thut desselben preis
Schon sprossen jung herfür durch kunst-volle tugend.

Georgius Heise M. T.

Quattuor usq; virum saturavit millia Iesus
Septenis sterili panibus inq; loco.
Sic docuit minimum vita satis esse carenti
Qua ratione queat cunctipotensq; manus.
Miraculum hoc celebras, Frater, præbesq; vi-
dendum
Et memori & gyato pectore: sancta facis.
Ulterius miracula Dei celebrare laboras
Corporis ac anima te satiare colet.

Engelhardus Camerarius A. S.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



VΦ 17


EVANG.

CHRIST

HALL



Q2 C





B.I.G.

Farbkarte #13



IVITIARUM
GELICARUM

uisitio XXVIII.
PRÆSIDE
IANO GUEINZIO

ymnasii Hallensis
Rectore
Respondente
CO CAMERARIO,
Aquensi-Saxone

ca VII. post Trinitatis.
O. R. cl. l. c. III.

ALLIS SAXONUM
eredum Melchioris Oel.
schlegelij

On. Unze

